



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Apotheca Spiritualem Pharmacorum Contra Litem Contagiosam Aliosque Morbos**

**Wichmans, Augustin**

**Antverpiae, 1626**

Cap. Ll. De S. Genouefa Virgine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9653**

## C A P. LI.

*De sancta Genouefa virgine.*

**V**irgo sanctissima Genouefa in Nemethodorensi parochia à Parisijs septem fere milliaribus distante Seuero patre, Gerontia matre nata, sacram hanc virginum Tutelarium quadrigam complebit. & faxit magnus ille mundi auriga Deus, vt sit nobis quadrigæ illius saluatio. De hac sanctissima Virgine ita scribit Aub. Miræus in factis suis Belgicis & Burgundicis, vltima die Iunij, ex occasione miraculosi illius Cerei qui apud Atrebatū hodieque visitur, in cuius memoriam Sodalitas erecta, quæ Ardentium, vocatur. Apud Parisienses porrò visitur etiamnum basilica S. Genouefæ, Ardentium, vt vocant, duratq; mali huius (pestilentix scilicet) ac remedij memoria. quibus non obscure insinuat, S. Genouefam à Parisiensibus tamquam Tutelarem inuocari contra ardentem ignem sacrum qui pestiferâ exesione membra corrodit, in cuius etiam honorem exemplo Atrebatensium aliorumq; quos ibidem commemorat, Sodalitatem iam dictam instituerunt. Præclara admodum sunt eius vitæ acta, quæ fideliter conscripta apud Suriū extant die 3. Ianuarij. Fuit à B. Germano Antisiodorensi Episcopo, Christo dicata, qui nummum æreum casu repertum & imagine Crucis insignitum eidem quasi pignus quoddam religiosi muneris donat, præcipiens vt eum perforatum collo appensum gestet, nec vllius deinceps metalli vel margaritarū monilibus se ornari sustineat, vt sic contemptis mundi huius ornamentis, cœlestis gratiæ pulcritudine posset decorari. à quindecimo ætatis suæ anno vsque ad quinquagesimum, bis in hebdomada

Dominica videlicet die, & feria quinta exiguo panis hordeacei & fabæ pulmento ieiunium soluebat. à vino, toto vitæ suæ tempore abstinuit. post quinquagesimum demum annum lactis & piscium vsum admisit; sed rarò admodum & parcè: immò tanta eius erat sanctitas vt sanctissimus Simeon Stylites extra Antiochiam in columna quadraginta pænè annis consistens & toti mundo admirabilis, per mercatores eam iusserit salutari, vtque pro se apud Deum intercederet rogauerit. Plurima referuntur miracula quæ per eam Deus dignatus est operari. Inter alia puerulum à natiuitate cæcum, surdum & claudum, benedicti olei vnctione & signo crucis perfectè sanauit. Cumque alium dæmoniacum similiter curare niteretur, pyxidem oleo vacuam reperit, neque Episcopum qui oleum benediceret, ad manum habere poterat. quare ardentibus precibus à Domino & oleum, & eiusdem vnctione dæmoniaci curationem impetrauit. Ego verò, inquit author, post tricenos ab obitu eius annos in imo ampullæ oleum quod ea orante creuerat, vidi.

Tandem annos amplius octoginta felici emerfa cursu virgo Genouefa, mundo peregrina, venerabilis populo, deuota Christo, diem clausit extremum 3. Nonas Ianuarij, cuius venerabile corpus requiescit in conuentu Apostolorum Petri & Pauli, in Monte Parisijs. Claruit temporibus Valentiniani III. Imp. qui regnavit anno 429. & sequentibus, & peruenit vsque ad Clodouicum Francorum regem, qui regnare cœpit anno 484. Genouefa Galliz protectrix, inquit Molanus. habet candelam in manu & ad pedes dæmonem ligatum, quia duo cerei in manu eius accensi sunt sine succensione, & plures obsessos à dæmonio, oratione & signaculo crucis

Baron. in  
not. Mart.

Mol. de  
piet. ca. 58.

crucis emundavit. Meminit & ipse in natalibus S S. Belgij 3. Aprilis alterius Genouefæ Palatinæ, quæ Ducis Brabantiaë fuit filia, nupta Sifrido Romani Imperij Palatino, & veluti altera Susanna pudicitia, patientia & deuotione erga Deiparam emicuit, masculam prolem à marito ad barbaras nationes abeunte cum maximo belli apparatu, conceperat. Accusata fuit innocenter apud reducem de adulterio commisso. quare eam cum prole submergendam decreuit maritus: sed famuli eam in nemore deseruerunt & pro lingua eius attulerunt linguam canis. Interim veluti altera Agar cum prole sua in solitudine vagatur, antra inhabitat, lymphâ & herbis se sustentans, ab aduocata sua Deipara Virgine multiplicem consolationem accipiens, per cuius patrocinium etiam cerua quædam filiolo turgidas mammas præbuit. Elapsis postmodum annis sex & mensibus tribus, maritus inter venandum in die Epiphaniarum vxorem cum prole reperit, & ex cicatrice vulneris in Brabantia accepti alijque signis & verbis eam cum rugitu cognouit. cum quo noluit illa congregari nisi prius sponderet se eo loco ædificaturum templum Dei Genitrici fidei suæ protectrici, in qua & ipsa condita est. vbi etiam plurima patrantur miracula, diciturque *Vrouwve-kercke*, in dicecesi Treuirensi. ita Molan. ex Matthia Emmich Doctore Theologo Carmelita anno scilicet 1472.